Q. D. B. V.

*MEDICÆ FACVLTATIS DECANI*

# IO. HADRIANI SLEVOGTII

D. ET P. P.

INVITATIO

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

# GENTIANA

CVI PRÆMITTITVR

*PROLVSIO*

DE

## BANDVRA CEYLONENSIVM


P. P.

*DIE XXXI DECEMBRIS M DCC XIX.*

---

*IENAE*

LITERIS VVERTHERIANIS.



Q. D. B. V.

MEDICÆ FACVLTATIS DECANVS
*BENEVOLO LECTORI*
S. P. D.

Cum clarissimus & summorum in Medicina honorum dignissimus Candidatus

JOANNES ANDREAS Weber/
Mario-Insulanus Prussus.

propter lugubrem familiæ suæ statum, domum properare coactus, cœptam, de GENTIANA *inauguralem Dissertationem plenius*, ut par erat, elaborare, & præter unicam officinalem, reliquas non contemnendas species explicare, simulque ab omnibus aliis plantis, hactenus absque charactere nomen usurpantibus, segregare haud potuerit, credidi, me non æque operam perditurum esse, si in præsentia Prolusionem invitationi ad solennem disputandi actum editurus, unam ex suspectis gentianis in medium protraherem.

Vocatur ea ab incolis Insulæ Ceylon BANDURA, ab Europæis autem hominibus, opimam ibi mercaturam venantibus, ob singulares suas & eximias proprietates, *Planta mirabilis* & *destillatoria* salutatur: quia ex aëre & terra haustam humiditatem in appensu vasa coriacea, sive *folliculos*, perperam siliquas a nonnullis vocatos, stillat.

Hanc D. Paulus Ammannus equidem inter species gentianæ Indicæ, Charact. plant. p. 195, retulit, &, talem eam esse, ex *capsulis & seminibus*, gentianæ conformibus, *patere* scripsit, Rajumque permovit, ut cap. 3, sect. 1, lib. 15, tom. 1, Histor. plant. p. 721, ipsi ultimum inter gentianas locum assignaverit: alius autem Medicus, teste celeberr. Valentini, Mus. Museor. tom. 2, p. 79, haud vulgarem in re botanica experientiam crepans, eam *satyriis* annumeravit. Jacobus Breynius ipsi in Prodromo, p. 18, *Monorchidis* & *Priapi vegetabilis* nomen dedit, & vel ipsum *Thuris limpidi folium*, vel eidem simillimum esse statuit. Verum, si quatuor istas figuras, quarum primam ac secundam Ammannus, ex dicto prodromo Breynii, Ephemeridum German. Dec. 2, anni 1, obs. 23, inter pag. 58 & 59 reposuit, & tertiam, a D. Herm. Nic. Grimm, ejusd. anni observationi 146, p. 363 præfixam; quartamque, in laudato Museo extantem, consideramus, nullibi genuinas gentianæ vel satyrii notas, aut convenientiam cum thuris folio, apud J. Bauhinum & Chabræum visendo, deprehendimus. Prima enim icon unicum tantum folium Banduræ, folliculi ὑδροφόρυ, operculo suo clausi, summitati per lingulam nervosam adhærens, & portioni radicis tuberosæ incumbens, ostendit: altera vero easdem partes, sed inversas, & folliculum superius atque inferius apertum exhibet: tertia, verbis Grimmii, totius *plantæ formam cum fructu, flore & semine ad vivum repræsentat*, ubi

ex

ex radice, minime tuberosa, sed potius crassa, multifida, lateque per terram extensa, caulis exsurgit, foliis longis, lilio convallium aut tulipæ similibus, & alternatim positis, inque tenuia & tortuosa ligamenta, sive lingulas, desinentibus stipatus, quorum extremis folliculi coriacei, teretes, sec. Ammannum, aliquando longitudinem pedis, & brachii crassitiem excedentes, operculisque tecti, non appenduntur, ut Breynius eos pingit, sed (quod tamen factu impossibile, lususque potius pictoris videtur) in aëre libero erecti, ceu nihil pendentes, basi sua insident. Ex fastigio caulis prodeunt ramuli, & ex his petioli, rotunda capitula, in flores *nudos, tetrapetalos rosaceosque* sese explicantia gestantes; ex quorum regione alius magnus ramus emergit, qui in calycibus trifoliis, aliquot fructus oblongos, ventricososque sustinet, quorum unus, sec. longitudinem fissus, substantiam, nuclei, vel clavæ figurum referentem, monstrat. Quarta, radice carens, quoad caulem, folia, flores & utriculos cum tertia fere convenit, sed loco fructuum, sine dubio, ex negligentia sculptoris, mera folia trisulca hederaceaque exhibet.

Ex hac descriptione liquet, quam difficulter quis cum Ammanno h. l. *capsulas & semina*, gentianæ conformia, aut satyrii speciem ostensurus, aut cum Breynio folliculum limpidissimo liquore fœtum, cum priapo vegetabili, antiarthritico quidem, sed fœtidissimo isto fungo, aut cum thuris folio, comparaturus sit, cum radix, flos & fructus Banduræ hisce cognominibus apertissime contradicant: nec etiam saluberrimus ejus usus, quem sanis pariter ac ægrotantibus præbet, permittat, ut porro egregia hæc planta ineptissima appellatione des Teufels-Baums/oneretur, quam (modo vera D. Valentini ex India redux Amicus narravit) Batavi ipsi ideo imposue-

 posue-

posuerunt, quia folliculi ejus atro fusco colore, quo Cacadæmon pingi solet, præditi sunt.

Ut autem dignitas Banduræ prorsus eluceat, quicquid nobis laudata Grimmii relatio scire concessit, verbotenus huc transferemus: *Radix ex terra humorem attrahit* (admittit) *qui, beneficio radiorum solis, in plantam ipsam ascendens, per caules & nervos foliorum defluit, & in hoc naturali vase* (folliculis) *tandem reservatur, donec ad necessarium hominis usum adhibeatur. Receptacula hujus humoris, quamdiu nondum ad extremam pervenerunt maturitatem, superius operculo eleganter tecta sunt, quod interdum digitis pressum dissilit, hancque dulcem, limpidam, amabilem, confortantem, & frigidam aquam suppeditat; ita ut interdum sex vel octo receptacula, plus minus tantum aquæ contineant, quantum unius hominis sitim, cum maxima delectatione restinguere possit. Interdum receptacula fere plena sunt, interdum semiplena, & interdum plus vel minus inest, nec etiam omnes eandem habent capacitatem; quod proficiscitur a constitutione aëris, prout ille diu siccus, calidus, vel humidus extiterit.*

Expositis hoc modo, quæ ad plantæ cognitionem pertinebant, mox usum medicum subjungit: *Radix adstringentis est facultatis. Herba frigefacit & humectat; & potest succus, cum proprio destillato liquore expressus, interne usurpari ad febres ardentes, & externe ad inflammationes, erysipelas, & similia.*

Tandem locum natalem quoque nominat: *Crescit,* (scil. copiose) *non longe a Colombo, quæ est metropolis insulæ Ceylon, in humidis & umbrosis sylvis.*

Absoluto jam, quod nobis destinaveramus, penso, vitæ atque studiorum decursum inclyti nostri Candidati brevibus

vibus exponemus. Editus eſt in vitalem lucem in Borusſiæ oppido Mario-Inſula, A. O. R: M DC XCVI menſe Majo, ab optimis parentibus, patre Dn. CHRISTIANO Weber/ Conſule ibidem per plures annos, ut prudentiſſimo ita & meritiſſimo, nuperrime inter cœlites recepto; Matre vero, honeſtiſſima matrona, BARBARA SOPHIA, nata WEDELIA: qui eum, ſtatim ab incunabilis, pietatis & ingenuorum morum principiis imbutum, quamprimum per ætatem licuit, manuductioni Collegarum fideliſſimorum Scholæ patriæ commendaverunt: a quibus, ſuccedente tempore, ſolida futuræ eruditionis fundamenta hauſit, & præcipue per clariſſimi viri, Dn. GEORGII Aſten/ Rectoris meritiſſimi, ſingularem dexteritatem ita ad ſublimiora ſtudia præparatus fuit, ut anno M DCC XIII, d. 1 Aprilis, a magnif. Regimontanæ Academiæ Rectore, DD. JO. STEIN, JCto & P. P. celeberr. in Civium literatorum numerum ſcribi, & poſtmodum ab excellentiſſimis Profeſſoribus, & quidem in philoſophicis, a Dn. GEORGIO SCHVLZIO, a D. D. JACOBO FINCKENAV autem, in phyſicis, botanicis, reliquisque medicinæ diſciplinis, a D. D. GEORG Emmerich in inſtitutionibus, a D. D. MELCHIORE PHILIPPO HARTMANNO in chymicis & metallurgicis, & a D. D. CHRIST. LVD. CHARISIO per ventilationem theſium phyſiologicarum, cum ſperato ſucceſſu, erudiri potuerit.

Elapſo quadriennio, anno M DCC XVII, in noſtræ Academiæ album, ſub D. D. JO. CHRISTIANO SCHROEDERO, Pro-Rectore magnifico receptus, ab illuſtri & ſummé venerando Academiæ atque Facultatis ſuæ Seniore, D. D. GEORGIO WOLFFG. WEDELIO, Hered. in Svvarza, Com. Pal. Cæſ. Sacr. Cæſ. Maj. & Duc. Sax. Conſil. Vinarienſe Aulico & Archiat. praxios ac chimiæ P. P. famigeratiſſimo, privatim

tim pathologiam, therapeuticam, caſusque Timæanos, publice autem theoremata, & morbos infimi ventris accuratiſſime explicanti ſedulo adfuit. Nec minori aſſiduitate magnifici h. t. Pro-Rectoris, D. D. JO. ADOLPHI WEDELII, Conſil. & Archiat. Sax. & theor. P. P. celeberrimi, Phyſicique Vinar. provincialis meritisſimi, lectiones privatas pathologico therapeuticas, de præſcrib. formulis & methodo medendi, publicasque de morbis extern. & mulierum, atque phyſiologicas frequentavit. Hiſce junxit D. D. JO. JAC. FICKII, Archiatri Sax. & Med. P. P. O. celeberrimi, ſolidiſſimas demonſtrationes chymicas, chirurgicas, conſultationes privatas ac privatisſimas, una cum lectionibus phyſiolog. patholog. ſemiot. & practicis. Quibus etiam D. D. HERM. FR. TEICHMEIERI, Archiatri Hazfeld. Med. P. P. extraord. & Phyſ. exper. ord. celeberr. acroaſes phyſicas, anatomicas, chimicas, practicas & medico legales, measque botanicas & anatomicas, in cadavere fœminino publice inſtitutas, ſuperaddidit, cum dudum in patria virile ſecari viderit.

Ex quibus omnibus, per ſeptennium ſtrenue continuatis, tantos profectus eruditionis ſibi acquiſivit, ut in examinibus, a Candidatis ſubeundis, plenisſime Facultati noſtræ ſatisfecerit, ipſiqne propterea cathedra publica conceſſa fuerit. Diſputabit, D. V. ſub meo Præſidio, d. 5 Januarii, inſtantis novi anni: quem inauguralem actum ut magnificus Dn. Pro-Rector, Proceres Academiæ, omniumque ordinum Hoſpites, & nobilisſima Studioſorum corona ſplendidum reddere velint, eſt quod, nomine Collegii, officioſe & amanter peto. P. P. ſub ſigillo Facultatis, d. 31 Dec. MDCCXIX.

(L. S.)